



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Fredericvs Dei Gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus
Hierusalem & Siciliae Rex, dilèctis principibus, Venerabilibus
Archiepiscopis & Episcopis, alijsque praelatis ecclesiarum, Ducibus, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Officio sanctissimæ Inquisitionis.

13

Inquisitionis huiusmodi officium opportunis. Datum Perusij, v. Calen. Februa. Pontificatus nostri anno decimo.

INNOCENTIVS III.

Iubet observari leges Frederici in hæreticos & eorum complices editas, quas nominatim inserit huic rescripto, quibus pœna varia in eos lata continentur, & multa Inquisitoribus privilegia conceduntur, & plurima ad sacrum Inquisitionis officium spectantia traduntur.

Innoentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filijs potestatibus, consilijs, & communitatibus civitatum aliorumq; locorum Lombardiæ, Marchiæ Taruifanæ, ac Romaniolæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Domini 1254.

CV M, aduersus hæreticam prauitatem quondam Fredericus Romanorum Imperator promulgauerit quasdam leges, per quas ne peruagetur compesci poterit pestis illa: nos illas volentes ad robur fidei ac salutem fidelium obseruari, vniuersitati vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quarum tenores vobis mittimus insertos præsentibus, faciatis singulis in vestris capitularibus annotari, contra hæreticos sectæ cuiuslibet secundum eas exacta diligentia processuri: Alioquin dilectis filijs Priori prouinciali & Fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis ordinis Prædicatorum in Lombardia, Marchia Taruifana, & Romaniola litteris nostris iniungimus, vt vos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Ex vetusto codice manuscripto bibliothecæ Vaticanæ, & Directorio Sabellano par. 2. fol. 710.

Tenores autem legum hi sunt:

FREDERICVS DEI GRATIA

Correcta ad authent. exemplar.

Romanorum Imperator, & semper Augustus Hierusalem & Siciliæ Rex, dilectis principibus suis, Venerabilibus Archiepiscopis & Episcopis, alijsq; prælatibus ecclesiarum, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Potestatibus, Scultetis, Burgauis, Aduocatis, Iudicibus, Ministerialibus, Officialibus, & omnibus per totum imperium constitutis, præsentem litteras inspecturis fidelibus suis, Gratiam suam, & omne bonum.

OMMISSIS nobis cœlitus cura regiminis, & imperialis, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, materiam, quo diuisi à sacerdotio fungimur, gladium aduersus hostes fidei, & in exterminium hæreticæ prauitatis exigunt exercendum: vt perfidia vipereos filios contra Deum & Ecclesiam insultantes, tamquam materni vteri corrosores in iudicio & iustitia prosequamur: maleficos viuere non passuri, per quorum scientiã seducentem mundus inficitur, & gregi fidelium per oues morbidas grauior infligitur corruptela. Statimimus itaque sancientes, vt hæretici quocunque nomine censeantur, vbicunque per imperium damnati fuerint ab Ecclesia, & seculari iudicio assignati, animaduersione debita puniantur.

SI qui vero de prædictis postquam fuerint deprehensi, terribili metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem, iuxta canonicas sanctiones, ad agendum pœnitentiam, in perpetuum carcerem detrudantur. Præterea quicumque hæretici reperti fuerint in ciuitatibus, oppidis, seu alijs locis imperij per Inquisitores ab Apostolica sede datos, & alios orthodoxæ fidei zelatores; hi qui iurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum & aliorum catholicorum virorum insinuationem, eos capere teneantur: & eos captos arctius custodire donec per censuram ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei sacramenta & vitæ damnabant. Simili quoque pœna plecti censemus omnes, quos ad fouendum hæreticorum errorem, callidus hostis suscitauit aduocatos: vel patrillicitos defensores; maxime cum facinus quos inquinat, æquat: nisi monitione præmissa destiterint, & eorum vitæ duxerint consulendum. Eos præterea qui conuicti in vno loco de hæresi ad alia loca se transferunt, vt cautius possint effundere virus hæreticæ prauitatis, debitam censemus subire vindictam: vt super hoc per viros ab eodem errore conuersos ad fidem, necnon & per alios, qui eos de hæresi conuicerunt (quod & in hoc casu concedimus licite faciendum) euidentis testimonium habeatur. Item mortis sententiæ ducimus addicendos, si quos hæreticorum ad iudicium tractos, in extremæ vitæ periculo hæresim abiurantes, postmodum de falso iuramento confiteantur, & fide mentita conuinci, ac eos contigerit eiusdem morbi spontaneam incurere recidiam: vt sibi damnabilis iniquitas sit mentita, & pœnam debitam mendacium non euadat. Omne in super proclamationis & appellationis beneficium ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem penitus amouemus: volentes vt de finibus imperij, in quibus semper debet existere fida fides, hæretica

reticę labis gemina modis omnibus deleantur. Ceterum quia quanto maiora diuina nutu misere rationis accepimus, & altiore locum præ filijs hominum obtinemus, tanto deuotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti. Si quando igitur in nostri nominis contempores nostri culminis excandescit auctoritas: si reos læsę maiestatis, in personis eorum & liberorum suorum exheredatione damnamus, multo fortius istiusque contra Dei blasphematores nominis, & catholica fidei detractores, prouocamur: eorundem hæreticorum, receptorum, fautorum, & aduocatorum filiorum hæredes & posteros, vsque ad secundam progeniem, beneficijs eunctis temporalibus, publicis officijs, & honoribus, imperiali auctoritate priuantes: vt in paterni memorię criminibus, continuo mœrore tabescant: vere scientes quod Deus zelotes est, peccata patrum in filios potenter vlciscens. Nec quidem a misericordiã finibus duximus excludendum, vt si qui paternę heresis non sequaces, latentem patrum perfidiam reuelauerint: quacumque reatus illorum animaduersione plectantur, prædictę punitioni non subiaceat innocentia filiorum. Ad hæc notum fieri volumus, Fratres Prædicatores de ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus imperij nostri contra hæreticos deputatos; ceteros quoque qui ad hæreticos iudicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab imperio fuerint proscripti, eundo, morando, & redeundo, sub nostri Imperij speciali defensione receptos; & quos apud omnes sub ope, ac recommendatione fidelium imperij esse volumus in offensus: vniuersitati vestre mandantes, quatenus quocumque, & apud quem eundemq; vestram peruenerint, benigne recipiatis eosdem: & personas ab incurfu hæreticorum eis insidiantium conseruantes indemnes, omne consilium, ductum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotijs exequendis. Hæreticos vero, quos & ostenderit ipsi vobis, in iurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinendos, donec post Ecclesiasticę damnationis iudicium, penam subeant, quam merentur: scituri quod in executione ipsius negotij, gratum Deo & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri Imperij nouam & insolitam hæreticę prauitatis infamiam, opem, & operam, vnã cum eisdem Fratribus præstiteritis efficacem. Et si quis foret exinde negligens & remissus, ac etiam inutilis coram Domino, & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere. Datum Paduę, xxij. Februarij. xij. Indictione.

FREDERICVS DEI GRATIA, ETC.



NCONSVTILEM tunicam Dei nostri disfluere conantur hæretici, & vocabuli vitio fermentes, quod significationem diuisionis enuntiat, in ipsius indiuisibilis fidei vnitatem nituntur inducere sectionem, & oues a Petri custodia, cui pascenda a pastore bono sunt creditę, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus eo vsque mansuetudinem prætententes ouium, quousq; ouile possint subintrare Dominicum. Hi sunt angeli pessimi. Hi sunt filij prauitatum, a patre nequitia, & fraudis auctore, ad animas simplices destinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi serpentes, qui latenter videntur insperere, & sub mellis dulcedine virus euomere: vt vitę cibum ministrare se simulent, a cauda feriunt: & mortis poculum velut quoddam dirisimum venenum immiscent. Horum sectę veteribus: vel ne in publicum prodeant: non sunt notata nominibus: vel quod est forte nefandius non contentę, vt vel ab Arrio Arriani, vel a Nestorio Nestoriani, aut a similibus similes nuncupentur: sed in exemplum martyrum, qui pro fide catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Huiusmodi miseri Patareni, a quibus abest sancta credulitas diuinitatis æternę, sub vno con-textu nequitie infimul tres offendunt: Deum videlicet, proximos, & seiplos: Deum, dum Dei fidem & filium non agnoscunt. Decipiunt proximos, dum ipsi sub spe spiritalis alimonie, hæreticę prauitatis oblectamenta ministrant: crudelius etiam faciunt in se ipsos, dum post animarum dispensidium, corpora denique seuerę mortis illecebris, quam per agnitionem veram & verę fidei possent euadere, vitę prodigi, & necis improvidi sectatores inuolunt: & (quod est ipso dictu durissimum) superstites etiam non terrentur exemplo. Contra tales sibi Deo & hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debita vltionis in eos gladium exeramus: tanto ipsos instantius persequentes, quanto in euidentiore delusionem fidei Christianę, prope Romanam Ecclesię, quę caput ecclesiarum omnium iudicatur, superstitionis suę scelera latius exercere noscuntur. Adeo quod ab Italia finibus, præsertim a partibus Lombardię, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam latius abundare, iamque vsque ad regnum nostrum Sicilię, suę perfidię riuulos deriuarunt. Quod accerbissimum reputantes: Statuimus in primis, vt crimen hæreseos, & damnatę sectę cuiuslibet, quocumque nomine censeantur sectatores, (prout veteribus legibus est indictum) inter publica crimina numerentur: immo crimine læsę maiestatis nostrę debet ab omnibus horribilius iudicari, quod in diuinę maiestatis iniuriam noscitur attentatum, quamuis iudicij potestate, alterum alteri non excellat. Nam sicuti perduellionis crimen personas adimit damnatorum, & bona; & damnat post obitum memoriã defunctorum: sic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus obseruari. Et vt ipsorum nequitia, qui quia Dominum non sequuntur in tenebris ambulant, detegatur: nemine etiam deferente, inuestigari volumus diligenter huiusmodi scelerum patratores, & per officiales nostros, sicut & alios malefactores inquiri; ac Inqui-